Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1385

Quelle:
Copyright:

matiae Tabula geographica f. vulgatae ad eundem Imperatorem praefatur: *Anno post reparatam salutem Millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, postquam Filius Principis Ragusiensis in Patrem suum Rebellis factus ad Turcam transfugisset, et abnegata fide Catholica ab Imperatore exercitum impetrasset, eidem Patri bellum intulit, eumque capto Ducatu olim nuncupato di S. Saba, nunc vero a Turcis appellato Herzegovina funditus delevit. Mox invasit Regnum Dalmatiæ, ut olim nuncupabatur Illyriam, cujus Antecessores mei ditionem tenebant: et Stephani Tritavi mei Comitatus duos nempe Gabellam et Mostar seu Illik, ubi Parentes mei ut plurimum residebant, Turcarum Dominio adjecit. Sequentibus deinde temporibus regnante Sultano Suleimano has sequentes Attavi mei Nicolai præcipuas Arces Civitatesque subjugavit, quemadmodum ex delineatione præsentis tabulae* (nulla adcuratione geographica facta) *uberius licet perspicere. Demum sub Regno Imperatoris Turcici Ibrahim seu Abraham ultimo Præsidio Parentis mei Matthiæ — capto ipse ego Parentibus occisis in primo Iuventutis flore non nisi annum decimum tertium agens Anno Christi 1636. durissimo iugo fueram mancipatus. Porro extra Aulam octo; octodecim vero annis in Aulicis servitijs vitam produxi, in universum itaque 26. annis* (quibus Arabicam didicerit) *in hac barbarie detinebar. Tandem ex speciali Omnipotentis Dei gratia pristinæ libertati restitutus ad Sacratiss. Caes. M. V. — Tutelam confugi* &c. Quam infirmo multa in hac Narratione talo stent, facile observabit, qui eam ad probatiores Rerum Turcicarum Scriptores expenderit.